

dictum, et eo reducto in scriptis, notario cum testibus et dicto eorum comparente coram eis vicedominis vel altero // eorum, et abbreviatum sive scriptum dictum ipsorum testium legente seriatim in presentia eorum testium et ascolta[n]cium, tunc
5 si testes concordabuntur secundum quod lectum fuerit per notarium, tale testamentum vel codicillum accipere et claudere et suo sigillo sigillare et sigillo ipsius notarii, et ipsum conservare in vicedominaria, ut supra dictum est de aliis testamentis et ultimis voluntatibus factis in civitate Tergesti. ¶ Item quan-
10 docunque caniparius alicuius fraternitatis prestaret securitatem secundum formam statutorum presentes esse quando fuerint requisiti, et habere unum quaternum ad hoc deputatum, in quo scribere debeant dictam securitatem, et dictum quaternum servare penes eos in vicedominaria comunis, ita quod,
15 quandocunque esset necessarium alicui pro aliqua conventione, tunc ad petitionem potestatis producere debeant, cui quaterno adhibeatur plena fides.

Cap. XXIII. Rubrica de ellectione proveditorum comunis et eorum notarii. R.ca.

20 **S**tatuimus quod in ellectione proveditorum comunis procedatur in hunc modum: videlicet quod iudices qui erunt de mense madii octavo die intrante congregari fatiant maius conscillium, in quo dentur sex brevia pro sex proveditoribus eligendis et tria pro tribus notariis eorundem, quibus provedi-
25 toribus et notariis sic electis, ipsi proveditores balotentur in maiori conscilio ad piscides cum balotis unus contra alium, et ultimi duo ¹⁾ qui obtinebunt per maiorem partem dicti conscillii sint firmi proveditores, et similiter dicti tres notarii balotentur unus contra alium, et ille qui optinebit per maiorem partem
30 maioris conscillii sit firmus notarius dictorum proveditorum. ¶ Et ipsi proveditores cum notario sic firmati incipiant offitium eorum die predicta qua fuerint confirmati, et durent in dicto offitio per unum annum, et habeant pro suo salario sold.

¹⁾ *tuos*.